

jocis accipere. Neque hominis mitis et humani dictis sensus durus inhumanusque supponendus est, etiamsi verba prima specie asperius sonare videantur.

E. g. verba Jesu Christi: *Quid mihi et tibi est mulier?* Joan. (2, 4.) jam a priori non licet in malam partem accipere, quum Christus erga omnes et maxime erga sanctissimam matrem semper fuerit humanus. — Similiter Matth. 12, 49. sq. Luc. 2, 49. 11, 28. — Verba S. Pauli: *quales* (principes apostolorum) *fuerint, nihil mea interest* (Gal. 2, 6.), — quidquid ceterum significant, reliquos apostolos parvi pendere non possunt, quia Paulus iis semper amicus, eodem loco se columnis apostolorum honorem praestitisse, et approbationem doctrinae suae ab iis impetrasse gloriatur.

## § 62.

### Affectio animi et modus loquendi.

1. — *Affectio animi loquentis* est status animi tranquillus aut concitatus. Praecipue animi orientalium et etiam sacrorum scriptorum fervidi sunt ad affectus et ad sermonem concitatum proclives. Affectus oratione vehementiore utitur, vim verborum mutat, et plerumque plus dicit, quam revera animo intendit. Hinc animi loquentis affectio saepe verum dictorum sensum prodit, et interpreti multiplicem utilitatem affert. Speciatim docet

a) *Utrum dicta omnem verborum vim habeant*, an vero augenda sint, an mitiganda vel restringenda. Qui enim animo commotus est, rem augere aut minuere, seu hyperbolis uti solet.

Ita mitigandae sunt imprecationes in libro Job et in psalmis, item in prophetis. — Joan. 3, 26. *omnes veniunt ad eum* hyperbolice dicitur a discipulis Joannis afflictis; ideo non repugnat verbis Christi (v. 32.): *testimonium ejus* (Christi) *nemo accipit*. — Item Hebr. 6, 4—6. apostolus animo commotior auxesi utitur, impossibile dicens lapsos rursus renovari ad poenitentiam.

b) *Quae sit ratio dictorum aut factorum*.

Verba Petri transfigurationem spectantis: *bonum est nos hic esse*, etc. (Matth. 17, 4.) ex affectu intelliguntur, quem indicat Lucas (9, 33.): *nesciens quid diceret*. — Idem Petrus (Luc. 5, 8. 9.) in miraculosa piscium captura Domino dicit: *exi a me*, etc.; *stupor enim circumdederat eum*. — Rom. 9, 3. apostolus tristitia magna affectus (v. 2.) anathema esse optat pro fratribus.

c) *Quae sit sententiarum abruptarum vis*, et ubi sit aliquod suppressum vel splendendum.

E. g. Luc. 22, 42. *Pater si vis transfer calicem istum*, etc. Joan. 20, 16. *Maria!* 20, 28. *Dominus meus et Deus meus!*

2. — *Cognoscitur autem loquentis affectio*:

a) *Ex aperta scriptoris declaratione*. E. g. Matth. 14, 26. Marc. 3, 5. Joan. 11, 33. 35.

b) *Ex tono et gestu*. Qui enim affectibus concitatus est, clamare et gestire solet. E. g. Luc. 19, 41—44. Act. 14, 13. sq.

c) *Ex caractere loquentis*. Homines pro diverso temperamento et caractere varie iisdem casibus et circumstantiis afficiuntur.

d) *Ex orationis forma*, abrupto sermone, hyperbolico et figurato dicendi genere.

e) *E circumstantiis cum legibus psychologicis collatis*. Homines enim, animo inter se similes, iisdem rebus et eodem modo commoveri, affectus eorum iisdem legibus obedire, eundem cursum tenere, et simili modo apparere solent. Multum prodest se in conditione loquentis aut agentis positum fingere, ejusque quasi personam induere.

3. — *Per modum loquendi intelligimus tonum et gestum*. Viva vox est quasi commentarius orationis. Tonus et gestus teste experientia saepe obscuritatem et ambiguitatem scripti sermonis tollunt.

Imprimis modus loquendi ostendit, utrum verba serio an joci causa vel ironice sint dicta; utrum sensus eorum sit proprius an translatus, strictior, hyperbolicus an emphaticus.

E. g. Sensus verborum Christi: *quid est, quod me quaerebatis?* (Luc. 2, 49.), vel *quid mihi et tibi est mulier?* (Joan. 2, 4.) — plane a tono dependet, quo Christum, ea verba dicentem, nobis repraesentamus. — Si praesumamus Christum quum diceret: *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (Joan. 2, 19.) — digito corpus suum monstrasse, vel Pilato respondentem: *non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper* (Joan. 19, 11.) oculos ad coelum sustulisse: difficultas interpretationis evanescit. — Rursum si Isaiae 7, 14. ponatur gestus prophetae praesentem aliquam puellam demonstrans; — vel si fingatur Christum ad verba: *et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam* (Matth. 16, 18.), seipsum monstrasse, sensus horum locorum depravatur.

4. — *Modus loquendi cognoscitur* ex ipsorum sacrorum auctorum *declaratione*, e. g. Matth. 12, 49. 26, 65. 27, 29. 46. Luc. 4, 16. 20. 5, 8. Joan. 19, 15. Act. 13, 16.; deinde *conjectitur* ex *narrationis natura*, e. g. Matth. 16, 18. Joan. 1, 36., ex *caractere loquentis* Luc. 2, 49. Joan. 2, 4., et ex *rationibus psychologicis*.

*Cavendum* tamen, ne modus loquendi temere praesumatur, ut in exemplis adductis Is. 7, 14. et Matth. 16, 18.

## Consilium loquentis.

1. — *Consilium loquentis* seu auctoris (Absicht) est propositum, aliquid oratione efficiendi. Res autem vel eventus, quem causa agens efficere intendit, vocatur *finis*.

Est autem *finis* duplex: *extrinsecus* seu *finis operantis*, qui est ratio, quae agentem ad agendum movet, et hic *finis* vocatur causa movens seu motivum; alter *finis* est *intrinsecus* seu operis, scilicet usus, ad quem res vel actio natura sua disposita est atque idonea, et hic *finis* vocatur destinatio. Quicumque ratione utitur, finem sibi in agendo proponat, ergo consilio agat necesse est.

2. — Consilium multifariam *dividitur*. Specialiter

1. Ratione ambitus est *commune et peculiare*. Prius omnium scriptorum sacrorum saltem alterutrius Testamenti est commune; peculiare singulorum scriptorum vel librorum est proprium.

Consilium *commune omnium librorum* sacrorum est: gloriam Dei et salutem animarum promovere. Consilium *commune Veteris Testamenti* (si non auctorum humanorum certe Spiritus Sancti) est: facta et promissa narrare, doctrinas et instituta describere, quibus Deus redemptionem generis humani praeparavit. Consilium *commune Novi Testamenti* est occasione oblata docere, quomodo Deus redemptionem generis humani perfecit, item doctrinas fidei ac morum essentielles vel in primaeva ecclesia disputatas pro indigentibus primorum lectorum exponere. *Singuli* autem *auctores* finem et consilium suum proprium habent.

Consilium *peculiare* est *generale* aut *particulare*, prout totius libri aut partis vel loci proprium est.

E. g. consilium *Moysis* peculiare sed *generale* est institutionem theocratiae narrare ejusque leges proponere. Consilium *particulare Genesis* est populi Israelitici originem memoriae prodere. — *Finis Matthaei generalis* est eventu vaticiniorum demonstrare, Christum esse Messiam promissum; *finis particularis capitis primi Matthaei* est originem Christi humanam enarrare.

2. Ratione intentionis consilium est *primarium et secundarium*; prius principaliter et per se intenditur, adeo, ut sine eo sermo vel liber non fieret; posterius secundo loco intenditur et actionem auctoris non movet, sed promovet.

E. g. consilium epistolae ad Galatas *primarium* est, doctrinam S. Pauli de operibus legis Mosaicae tradere et defendere; *finis secundarius* est mutuam inter utrumque foedus relationem explicare.

3. Consilium sacrorum scriptorum *peculiare* ratione finis, ad quem tendunt, est *didacticum, historicum, historico-dogmaticum, practicum, poëticum*. Consilium *didacticum* adest, quando auctor auditores vel lectores (veritates aut praecepta) docere, vel vero doctrinam aliquam argumentis probare intendit. Consilium *historicum* est propositum memoriam praeteritorum prodendi ac servandi. Attamen consilium mere historicum nemo sacrorum auctorum propositum habet. Consilium historicorum sacrorum est *historico-dogmaticum*; nempe illi historiam non tam ob memoriam factorum scripserunt, quam ut doctrinas narratione illustrarent vel demonstrarent. Consilium *practicum* habet auctor, qui auditores vel lectores ad aliquid agendum motivis adducere conatur. Consilium *poëticum* adest, si auctor affectiones suas (praesertim pias) ostendere, in aliis similes excitare, eosque ita delectare et ad virtutem allicere intendit.

3. — Consilium loquentis totam orationem ejusque partes ordinat ac penetrat. Ideo ejus notitia multum interpreti *prodest*. *Speciatim*

1. Consilium *commune* docet, *quid sit et quid non sit in libris sacris quaerendum*. Quaerenda est doctrina fidei et morum item historia revelationis. Non sunt quaerenda *a)* completum et perspicuum doctrinae Christianae systema; *b)* doctrinae profanae: physicae, astronomicae, geologicae, historicae, etc.; Sacra enim Scriptura de his non nisi obiter et ad sensum popularem accommodata agere solet. (E. g. Gen. c. 1. et c. 10.)

2. Consilium *peculiare generale* ostendit: *a)* *cur auctor quasdam res narraverit, alias non*. E. g. quare Joannes multa Christi facta, velut institutionem eucharistiae reticet, e consilio cetera evangelia supplendi intelligitur. *b)* Idem consilium generale rationem reddit *ordinis, quem auctor in rebus narrandis sequitur*. Is enim, cujus consilium est historicum, ordinem chronologicum servat (Lucas); qui autem consilium cepit didacticum, vel historico-dogmaticum, vel practicum, facta aptius ordine reali quam chronologico narrat (Matthaeus). E consilio igitur ordinem narrationis conjectare licet.

3. Consilium imprimis *particulare* (alicujus partis vel loci) multis modis sensum illustrat.

*a)* Docet, *quaenam partes orationis sint significativae, et quaenam ornatus gratia additae*. Namque partes, quae ad finem orationis necessariae sunt, significationem habent.

Speciatim in parabolis et aliis tropis interpretandis regula est: quod requiritur et sufficit ad finem tropi, scil. ad sensum tropi exprimendum, id significativum habendum est; reliqua ornamenta sunt. Ita e. g. in parabola de filio prodigo (Luc. 15, 11—32.) porci, siliquae, osculum patris, vestis pretiosa, annulus, calcei, vitulus, etc. ornatus obtinent locum.

b) Consilio particulari cognito apparet, utrum voces et sententiae *sensu proprio an translato sint accipiendae*. Si consilium est didacticum, sensus proprius praesumendus est, nisi graves causae translatum postulent. Qui enim in docendo versatur, perspicuo sermone uti debet; proprius autem sensus plerumque magis est perspicuus, quam translatus. Tropos saltem insolitos et intellectu difficiles sermo clarus minime admittit.

Ideo verba institutionis eucharistiae (Matth. 26, 26. 28.) vel poenitentiae (Joan. 20, 22. 23.) non licet pro tropis accipere, quia institutio sacramentorum maximi momenti est et quasi testamentum Christi. — E contrario si auctor poëmata facere vel saltem forma poëtica uti intendit, ut e. g. auctor libri Job, psalmorum vel Cantici Cant., etc.: certe etiam tropos insolitos et audaciores ei adscribere licet.

c) Consilium particulare saepe *terminos sensus ostendit*, i. e. indicat, *sitne et quousque notio vel sententia restringenda aut extendenda*; videlicet eousque, ut consilio loquentis respondeat. Hinc regula est: *non licet notionem vel sententiam ultra consilii terminos extendere, nec citra eos restringere*. Ex notitia consilii etiam apparet, *utrum dicta absolute an relative sint accipienda*.

Matth. 1, 18. 25. legimus: *antequam (Maria et Joseph) convenirent, inventa est in utero habens, item non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Quum consilium evangelistae fuerit monere, Jesum sine viri interventu a virgine esse conceptum, ideo verba evangelii nihil aliud significare intendunt, quam Josephum a consuetudine tori ante Salvatoris nativitatem abstinuisse; quid autem postea factum sit, evangelista, ut ad rem non pertinens, non curat nec refert. Idem dicendum de voce primogeniti, qua evangelista demonstrat, neminem antea ex eadem matre natum esse, itaque Christum jura primogeniti habuisse; minime vero significat, alium post Christum a Maria esse genitum. — Verba Christi: *dico vobis non jurare omnino* (Matth. 5, 34.) spectato Christi consilio abusus juris jurandi tollendi, restringenda sunt ad juramentum leve et superfluum. — Praeceptum Christi discipulis datum: *nolite portare sacculum... neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis* (Luc. 10, 4.) ex consilio Christi, curas tantum

et moras supervacaneas ac munus impediens vetantis, restringendum est.

d) E consilio particulari colligitur, *propriamne loquens sententiam aperiat, an ex aliorum mente loquatur*. Si enim demonstrantem agit, propriam mentem, si in refutatione versatur, alienam sententiam proponere existimatur.

Liber Job de causis malorum agens, frequentius in utramque partem disputat. Similiter Ecclesiastes multas falsas de fine hominis opiniones refellendas affert. Etiam S. Paulus saepe aliena placita proponit et impugnat. Omnes hi et alii auctores sacri proprias et alienas sententias nonnunquam minus accurate distinguunt; consilium ergo refutandi veram eorum mentem verumque dictorum sensum prodit.

4. Consilio *primario* perspecto discernitur, *quaenam orationis partes sint essentialis, quaenam accidentales*.

Ea nimirum, quae ad consilium primum pertinent, et sine quibus loquens propositum non assequitur, essentialis orationis plerumque constituunt; ea autem, quae salvo fine abesse possunt, accidentaliter habenda.

4. — *Consilium auctoris vel loquentis cognoscitur ex historia et ex indiciis internis*. Specialiter

a) Ex aperta et directa auctoris *declaratione*,

quae fit initio (Luc. 1, 3. 4. Rom. 1, 11—15.) vel in fine (Matth. 25, 13. Joan. 20, 31. I. Petr. 5, 12. I. Joan. 5, 13.) sermonis aut libri.

b) Ex *testimoniis historicis fidedignis*, praecipue ex *traditione*.

E. g. finem evangelii Marci fuisse praedicationem Petri Romanorum gratia litteris consignare, praeter alios docent Clemens Alexandrinus et Eusebius; Joannem voluisse spirituale evangelium componere, testatur Clemens Alexandrinus. — Evangelistae, Christi discipuli aut discipulorum discipuli, consilia Christi vel aliorum, quos loquentes inducunt, manifestantes, ut testes sinceri oculati saltem auriti omnem fidem merentur. — E contrario nonnullorum psalmorum inscriptiones consilium auctoris indicantes, quae conjecturis hominum recentiorum nituntur, fidem per se non merentur, nisi potentibus argumentis probentur.

c) Ex *indirecta auctoris declaratione*, seu ex iteratis adnotationibus et conclusionibus ad certum quendam finem tendentibus.

E. g. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam* (Matth. 1, 22. 2, 15. 4, 14. 8, 17. 12, 17. 13, 35. 26, 56.), *tunc adimpletum est, quod dictum, scriptum est per prophetam* (Matth. 2, 5. 17. 27, 9.); *hic (Christus) est filius Dei*, signa videntes crediderunt in eum. (Joan. 1, 34. 2, 11. 23. 3, 2. 6, 70. 7, 31. 20, 28. 29.).

d) *Ex occasione libri vel sermonis.* Sicut enim homines prudentes ex occasione consilium loquendi capere, ita occasione convenienter loqui solent.

Consilium Pauli in epistola I. ad Cor. ejusque partibus e conditione ecclesiae Corinthiacae et e quaestionibus, quas Corinthii apostolo suo per litteras posuerant, intelligitur. — Similiter occasio nos de fine epistolae ad Galatas vel ad Hebr. certiores facit. — Ubi occasio plane ignoratur, et auctor finem operis sui tacet, sicut auctores nonnullorum psalmodum faciunt, revera consilium auctoris difficillime reperitur.

e) *Ex libri aut sermonis argumento.* Si argumentum ad finem aliquem aptum, imo ad illum manifeste electum et compositum videtur: hujusmodi finis pro consilio auctoris habendus. Deinde sententia, quae saepius repetitur vel lectoribus inculcatur, consilium auctoris et finem orationis plerumque aperit.

Disputationes in libro Job et solutio quaestionis indicant finem libri esse afflictionis justorum rationem reddere. — Qui historiam nuptiarum Canae celebratarum legit (Joan. 2, 1. sqq.), non potest sibi serio persuadere auctorem noluisse miraculum narrare, sed tantum liberalitatis actum; omnia enim et singula dicta miraculo apprime conveniunt, liberalitati vero humanae minime. — Finem evangelii quarti esse divinitatem Christi demonstrare, et materiae delectus (origo divina, omniscientia, miracula, sermones dogmatici), et frequentes divinitatis Christi assertiones significant.

#### § 64.

##### Occasio et primi lectores vel auditores.

1. — *Occasio sermonis* est circumstantia extra animum sita, quae loquentem vel scriptorem ad aliquid dicendum invitatur. Etsi occasio non est ad agendum necessaria, quum quisque sua sponte, impulsu interno loqui vel scribere possit: tamen homines plerumque ex occasione, et occasione convenienter loqui solent.

Occasio *differt* a motivo et consilio eo, quod motivum est idea boni trahentis, consilium autem voluntas bonum illud consequendi; at occasio est res vel factum extra animum situm, quod ansam dat ideae concipiendae consiliique capiendi et voluntatem ad agendum allicit.

Occasio est

1. *interna et externa.* Prior est circumstantia ad auctorem pertinens, posterior est res vel eventus ei alienus. E. g. occa-

siones internae sunt: casus varii, morbi, praesentia, discessus auctoris; occasiones externae: casus secundi et adversi aliorum privatorum, ecclesiarum, reipublicae, deinde errores et dubia tollenda, discordiae componendae, tristitia mitiganda, persecutiones, et similia.

2. *Primaria et secundaria,* prout motivum dat principale aut secundarium.

3. *Universalis et particularis,* prout ad totum sermonem vel librum, aut ad partem tantum ejus pertinet.

2. — *Cognitio occasionis* sermonis multiplicem utilitatem interpreti affert.

a) Vocum ambiguarum significationem prodit. b) Docet, utrum voces proprie an improprie sint accipiendae. c) Utrum dictum aliquod absolute an relative valeat, utrum voces urgendae sint, an vero significatio sit extendenda vel restringenda. d) Rationem reddit, cur auctor ea et ita dixerit. e) Docet, utrum auctor accommodatione usus sit necne.

Exempla. Quid Joannes per *logon*, quid Paulus per *opera*, *adventum Domini*, *fidem* et alia vocabula intelligant, saepe ex eorum, cum quibus contendunt, sententia apparet. — Vera carnis Christi manducandae significatio (Joan. 6, 54. sqq.) ex occasione sermonis: ex manna et panum multiplicatione fit manifesta. — Occasio sensum parabolae de filio prodigo (Luc. c. 15.) pandit. — Verba: *non quod intrat in os, coinquinat hominem* (Matth. 15, 11.) ex occasione (v. 2.) intelliguntur.

3. — *Cognoscitur* autem occasio sermonis

a) Ex aperta auctoris vel loquentis *declaratione.* E. g. Luc. 1, 1. 2. Act. 15, 24. I. Cor. 1, 11. 5, 1. 7, 1. diserte occasionem scribendi indicant.

b) Ex fidedigna *aliorum*, praesertim eorum, qui sermoni interfuerunt, *relatione.* Ita evangelistae saepe occasionem parabolarum et sermonum Domini memorant.

c) Ex *notis* auctoris *teleologicis* ad finem et occasionem sermonis alludentibus. Ita Matthaeus impletionem prophetiarum ostendere solet.

d) Ex *historia vitae auctoris et auditorum.* Epistolas Paulinas vix intelliget, qui vitam Pauli et conditionem ecclesiarum, ad quas illae scriptae sunt, ignoraverit.

e) Ex *argumento* sermonis, quod prudens auctor non potest occasioni non accommodare. Illae ergo circumstantiae, quibus sermo congruit, merito putantur ei occasionem dedisse. Plurimum epistolarum Paulinarum occasio nisi argumento plane non innotescit.

4. — *Primi lectores vel auditores.* Libri sacri, etsi omnibus a Spiritu Sancto dati, tamen ab auctoribus humanis ex occasione scripti, certis hominibus — uni populo, uni aut multis ecclesiis aut singularibus hominibus — sunt imprimis destinati, eorumque conditioni atque captui accommodati. Immo multae partes Scripturae orationes et colloquia referunt coram certis iisque variis auditoribus habita.

Oportet igitur, ut interpres primos libri sacri lectores vel sermonis relati auditores, omnem eorum conditionem internam et externam, puta ingenium, culturam, characterem, mores, circumstantias ac fata optime noverit. Patet enim, rationem et allusiones dictorum, veramque eorum vim aliter intelligi non posse, ac totum librum vel locum obscurum manere.

E. g. libri Moysis aequalibus et praesentibus dati, eorum conditione ac moribus nituntur; quomodo ergo his ignoratis intelligi queant? — Prophetae populum Israeliticum et gentes coevas alloquuntur, et omnibus fere verbis ad eorum statum ac gesta alludunt. — Ipse Christus Dominus sermones suos auditoribus accommodavit; aliter cum simplici populo, aliter cum legisperitis et sacerdotibus agebat.

Quum primorum illorum lectorum et auditorum conditio a nostra et moderna plurimum differat, ex *historia* est discenda. *Fontes* scientiae hujus conditionis sunt: declaratio auctoris, argumentum sermonis, alii libri sacri, Josephus Flavius ac Philo, Talmud, Patres aliique scriptores Christiani et scriptores profani.

#### §. 65.

##### Personae et res, de quibus agitur.

1. — Auctor imprimis historiam narrans frequenter de personis ac rebus patriae et aetatis suae mentionem facit, vel ad eas alludit, vel de iis imagines depromit, neque eas, utpote lectoribus vel auditoribus aequalibus et concivibus notissimas explicat. Personae tamen illae ac res recentioribus et alienigenis saepe omnino incognitae sunt, quarum scientia nisi acquisita fuerit, ipsa narratio erit obscura ac saepe incomprehensibilis. Idem in Bibliis fit, quippe quae de personis et rebus plane antiquissimis, patria moribusque nobis alienissimis agant, res imperfecte atque obiter referant. Cognitio ergo personarum et rerum biblicarum interpreti S. Scripturae, nisi vagus et exsul in terra aliena errare velit, maxime est necessaria.

Crudelitas et competitorum metus Herodis explicat infanticidium Bethlehemiticum Matth. 2, 16., et saevitia Archelai rationem reddit timoris Josephi Matth. 2, 22. — Agendi ratio Pilati cum Christo (Matth. 27, 23. sqq. et loc. parall.) ex inconstanti ejus animo et multorum conscientia facinorum intelligitur. — Character Felicis, qui teste Tacito »per omnem saevitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercuit« (Hist. V. c. 9.), docet, cur ille Paulum de justitia, castitate et judicio futuro disputantem tremefactus audire noluerit. (Act. 24, 25.)

S. Scriptura saepe alludit ad structuram aedificiorum imprimis templi (Matth. 10, 27. 24, 17. Marc. 2, 4. 26. Luc. 1, 9. 10. 21. Joan. 10, 23.), ad judicia et tribunalia Judaeorum (Matth. 5, 22.), ad festa (Matth. 26, 2. Joan. 7, 2. 10, 22. 12, 1. 13, 1. Act. 27, 9.), ad magistratus (Matth. 26, 3. 27, 2. Joan. 18, 13. 24. Act. 25, 10. sqq.). — Narratio de haemorrhoea (Luc. 8, 47.), de corrigia calceamenti solvenda (Joan. 1, 27.), de Samaritana Christum, quod se alloqueretur, mirante (Joan. 4, 9.) et de Judaeis in praetorium ingredi nolentibus (Joan. 18, 28.), et innumera alia notitiam rerum antiquarum postulant.

2. — Imprimis cognitio rerum antiquarum nos docet sensum multarum imaginum, quae modernis hominibus, ingenium et mores veterum Judaeorum ignorantibus, obscurae, ridiculae, imo lascivae atque obscenae videntur.

E. g. Gen. 49, 14. Issachar vocatur asinus ossis (in Hebr.), i. e. ossuosus seu robustus; Deut. 33, 17. venustas Josephi celebratur tamquam similis pulchritudini primogeniti tauri, et »cornua rhinocerotis cornua illius«; Ps. 77, 65. Dominus potenti crapulato comparatur; Cant. 1, 4. sponsa regis dicitur formosa sicut pelles (tabernacula) Salomonis; 2, 7. et 3, 5. filiae Jerusalem per capreas cervosque camporum adjurantur et 2, 9. dilectus capreae hinnuloque cervorum similis dicitur; 4, 1. sponsae oculi sicut columbarum, capilli sicut greges caprarum, 4, 5. ubera sicut hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis describuntur. Is. 53, 4. Messias patiens leproso, 64, 6. justitia populi panno menstruatae (cf. Lev. c. 12. et 15.) comparatur. Jer. 25, 30. Dominus dicitur rugire de excelso; 46, 20. vitula formosa Aegyptus, Os. 10, 11. Ephraim vitula docta diligere tritiram. Haec et similia ut intelligantur, scire nos oportet, quaedam animalia nobis vilia ac despecta orientalibus, agricolis et pecuariis cara grataque fuisse, e. g. asinum, capram. Imprimis asinus apud eos fuit imago roboris et pacis. Haec omnia ex historia antiqua et archaeologia cognoscuntur.